DISPUTATIO MEDICA
INAUGURALIS,
DE
DYSENTERIA,
QUAMQUE,
PRÆSIDE DEO TER OPT. MAX.
Ex Auctoritate Magnifici D. Rectoris,
RODOLPHI LEUSDEN,
Phil. & Med. Doct. Medicinæ, Anatomes, & Chirurgiæ,
in Academia Ultrajectina, Professoris Ordinarii:
NEC NON
Amplissimi Senatus Academici consensu, & Nobilissimæ
Facultatis MEDICÆ decreto,
PRO GRADU DOCTORATUS,
Summisque in MEDICINA Honoribus & Privilegiis rite ac legitime consequendis,
Eruditorum Examini subjicit
GUIDO DE ROUFFIGNAC, *Gallo-Anglus*.
Ad diem XV. NOVEMB. *loco horisque solitis*.



TRAJECTI ad RHENUM,

Ex Officina GUILIELMI vande WATER, Academiæ
Typographi, cIↄ Iↄ CCVII.

CELEBERRIMIS CONSULTISSIMIS GRAVISSIMISQUE

VIRIS

DN. JACOBO DE ROUFFIGNAC, Verbi D. Miniſtro parenti ſumme venerando dilectiſſimo.

DN. RODOLPHO LEUSDEN, Rectori Magnifico, Anatomiæ & Med. Doct. Chirurgiæ Profeſſori Ordinario.

DN. JOANNI MUNNIKS, M. D. Botanices & Anatomiæ Profeſſori Ordinario &c. Promotori venerando.

DN. DAVIDI MARTIN, Eccleſiæ Gallo Belgicæ Ultrajectinæ Paſtori vigilantiſſimo, eruditiſſimo.

DN. R. DUCANE, Viro graviſſimo generoſiſſimo.

Hanc Diſputationem Inanguralem eâ quâ per eſt reverentia

D. D. D.

G. DE ROUFFIGNAC.

Gallo Anglus.



DISPUTATIO MEDICA *INAUGURALIS*, DE DYSENTERIA.

THESIS I.



Ræcurſores noſtri, Athletæ terribiles (morbis autèm, non patientibus intelligo,) *plurimis infirmitatibus corpus noſtrum obnoxium eſſe*, præ dicaverunt. Tum ne exordio toties repetito lectorem meum offendam, & cum hæc præmiſſa typographo, potius quam lectori grata ſint, ipſa omittendo, ad Dyſenteriæ definitionem, (paucis primum obſervatis de vocis Etymologia) ſecundum meam quidem ſententiam humiliter proponendam memet accingam.

II.

Nomen à δὺς, ἔντερον, inteſtinum, & ῥέω, *fluo*, ortum, incommoditatem, magis quam, ut ordinario dicitur difficultatem fluxus iſtius inteſtinorum innuere mihi videtur: δὺς enim inter græcos, ut *in* apud romanos, aliquid miſerum, triſte atque incommodum, ubi vocis alicujus compoſitionem facit, denotat. Nomen Latinum, *Tormina*, quales hujus morbi dolores ſint, ſatis notum facit.

III.

Dyſenteria eſt inteſtinorum ulceratio, ab acri & corrodente humore orta, & dejectione cruentâ, frequenti, purulentâ, ventriſque torminibus acutiſſimis concomitata.

 Locus

IV.

Locus igitur, quem Dysenteria veluti domicilium occupat, inteſtina ſunt; ſuamque poteſtatem ſævam interdum in tenuibus, interdum in craſſis & nonnunquam in tenuibus & in craſſis ſimul exercet. Ventriculus autem in conſenſum trahitur, & anſam fluxui præbet; & pylorum atque ventriculum ipſum affici, in pluribus hominum dyſenteriâ extinctorum cadaveribus circa locum iſtum, ventriculum nempe, corroſiones & ulcera comperta, ſatis probant. Cum autem expertiſſimus, & celeberrimus Profeſſor Leuſden, Præceptor meus ſummè colendus, glandulas inteſtinis ineſſe plurimas oſtendens, conjecturæ maximè probabili locum eſſe humorem in ipſis a fœcibus ſecerni demonſtraverit; vix dubito quin ipſæ glandulæ affectæ ſint & vicioſum humorem ſeparent; imò potius humoris alicujus laudabilis loco, ſanguinem ipſum emittant.

V.

Hujus morbi cauſæ internæ proximæ ſunt, & remotæ. Proximam, ulcus (à ſupradictis) eſſe patet. Remotam vero humores bilioſi, pituitoſi, ſeroſique, acidiores, acriores, & corroſivi facti, conſtituere poſſunt. Quibus addatur, quod ſæpius accidit, ut poſt diarrhæam violentam, & per longum temporis tractum perdurantem Dyſenteria ſequatur, quod Hypocrates ipſe ſect. 7. Aphor. 75. affirmat. & aphor. ſequenti poſt lyenteriam idem accidere teſtatur.

VI.

Hiſce cauſis internis externæ plures accedunt. Quales omnia humores acriores acidos ſalinoſve reddentia, ſunt, v. g. ſex res non naturales, venena incaute intus aſſumpta, arſenium ſcilicet, auripigmentum &c. Interdum medicamenta quædam acriora; qualia colocynthis, ſcammonium, Agaricum &c. (Epidemica verò Dyſenteria ab infecto aere, exhalationibuſque ſubterraneis evenit.) Nonnunquam ab aere calidiore, vel frigidiore; neque raro fit poſt pugnam, ſive copiæ in certo quodam loco diu caſtra fecerint, Dyſenteriam oriri: & amultis aliis cauſis quas enumerare vellem incaſſum, originem trahere poteſt.

VII.

In Dyſenteria ſecundum quorundam ſententiam quatuor & ſecundum alios tres tantum & rectius (uti mihi videtur) differentiæ ſequentes ſtatuuntur. 1. Scilicet ubi humor mucoſus, albus, pinguis, limoſus & nullo aut ſaltem exiguo ſanguine permixtus, excernitur. 2. Ubi Inteſtinorum interna ſuperficies membranoſa, ſeu fibrillæ pelliculoſæ tunicæ interioris una cum excrementis & ſanguine demittitur. 3. Ubi non ſolum interior

rior tunica, sed & ipsa intestinorum substantia propria carnosa corroditur; cumque maximi cruoris humorisque purulenti copia in frustulis & quasi carunculis ejicitur. Cùm autem istas differentias, eiusdem morbi gradus tantum non distinctas species esse sole clarius sit; Dysenteriam in benignam, malignam, & epidemicam melius fortasse dividere possemus. Epidemica fit uti particulæ acres, salinæ nimis ad altiorem gradum evectæ arsenicales, quasi redduntur unde impurissimus evadit aer quo deglutito & intus inspiratione desumpto, corporis nostri, humores corrumpuntur. Ubi vero per contagium late miasma suum veneficum explicat, morbus malignus est.

VIII.

Ut distinctam in patiente, morbi cognitionem acquiramus, signis hisce diagnosticis attendendum est. Tormina maxima cum tenesmo quodam cruento hujus morbi signum primum ex supradictis liquet. Pars etiam unaquæque affecta distincta quædam diagnostica nobis præbet. Tenuibus itaque intestinis affectis vehementissimus in abdomine dolor paulum ante quàm fæces extrudantur sentitur, & ipse cruor seu materia purulenta magis abunda quam equidem evenit in crassorum intestinorum affectu solo. Tunc enim dolor minor est, cessanteque dolore stercus statim ejicitur, nec sanguis ab ipsis adeo copiosus ut a tenuibus intestinis effluit. In tenuibus intestinis versante morbo, dolor in umbilico sentitur; & syncope symptomatibus aliis sæpius adjungitur, pallidus & in syncope cum horrore quodam exsudat æger. Si crassa intestina affligantur materia fæcalis est spumosa; & uti dixi purior, & cum flatibus crebris ejicitur. Laborantibus autem tenuibus, & crassis, dolor primus subsequente statim acutior est; cruor pusve commiscetur cum excrementis, iisque supernatat. Si vero pylorus aut ventriculus affectus sit, vomitus frequens est. Tum demum horror febris præcursor & prænuntius adest: imo cutem convellens & crispans, quem calor continuus sequitur.

IX.

Patientis tali morbo laborantis periculum non minus medici diligentiam, (quin ipsa mors medico diligentior ægrum corripiat,) quàm ejus prudentiam & experientiam requirit: morbus enim acutus est, & raro periculo caret, ut in Prognosi liquebit. Hic morbus omnium animis merito consternationem injicit, pueris autem & senibus magis quam hominibus ætatis mediæ terribilior evadit. Intestinorum difficultas ab atrabile ortum ducens lethalis est secundum Hypocratem Sect. 4. Aphor. 24.

Quod & affirmat Celſus lib. 2. cap. 28. tormina dicit, atrabile orta mortifera ſunt.

X.

Si primus tantum hujus morbi gradus aut ſecundus, id eſt, ſi tunica interior ſola vulneretur, & offendatur, facilis ſatis curatu morbus evadit; ſi profundum eſt ulcus, non incurabilis, difficilius tamen curatu, præcipue ſi in tenuibus inteſtinis ſitum habent. 1. Quia Medicamenta virtutem ſuam illis commodè communicare non poſſunt; per longam enim viam progredienda, antequam ad inteſtina medicamenta perveniant plerumque deperdita ſit. 2. Quia fibrillas ſubtiliores nerveas, & plura vaſa ſanguinem copioſiorem profundentia habent, uti inteſtina præparando videre poſſumus. 3. Inteſtinorum ulcera vulneraque curatu difficillima ſunt, propterea quod non ita facile uniri poſſunt. Imo Hypocrates tenuium inteſtinorum vulnera incurabilia prædicat. Extremus autem morbi gradus, ubi ſcilicet quaſi carunculæ dejiciuntur, patientem ab orco non longè diſtare minatur; & Hypocrates Sect. 4. Aphor. 26. ipſum morti tradit. Syncope ſuperveniens cum pallore & ſudore frigido, ad mortis limina ducit. In Dyſenteriis longis ciborum faſtidium malum denuntiat, & cum febre, pejus. Hypocrates Sect. 6. Aphor. 48. Lienoſi inteſtinorum difficultate correpti, iis poſt longam ſuccedentem inteſtinorum difficultatem, aqua inter cutem aut inteſtinorum levitas accedit & moriuntur Aphor. 43. ejuſdem ſectionis *Ferratius in tract. de morbis infant*: dicit cui Dyſenteriam habenti, poſt aurem veluti res nigra, crobo ſimilis, excreſcit, cum vehementi ſiti, moriuntur in decimo die. Dejectiones ſyncæræ, nigræ, fætidæ, ſingultus, vomitus, præcordiorum dolor Dyſenteriam plerumque lethalem prænuntiant, uti *Riverius* teſtatur. Qui purum ſanguinem & copioſum momentaneis, & fere continuis ſedibus cum cordis anxietate, ſiti, vigiliiſque intenſis jam mundo valedicere debet. Morbus hic decurſum ſuum in 14. dierum ſpatio nonnunquam abſolvit, interdum ad 6. uſque ſeptimanas illum protrahit; quibus finitis, Patiens tandem moritur, ſi denique deliria ſeſe ſymptomatibus iſtis adjungunt febrim intenſiſſimam denotantia de illo actum eſt. Sed de prognoſi jam plus ſatis; ad curam itaque pergendum eſt.

X I.

Verum enim verò Dyſenteriæ toties inter ſe differunt, ut quamvis generalem curandi methodum proponere poſſimus, multa tamen pro re nata & diverſis ſymptomatibus nobis erunt varianda. Cura generatim in Diætericis & pharmaceuticis conſiſtit.

Ita-

XII.

Itaque ratione victûs, aer nec incalescens, nec frigescens nimis esse debet; temperatus autem eligendus est: Nam calidus bilem acriorem reddit; unde sanguis particulis istis salinis refertur, & sibi viam in intestinorum vasa sanguifera parat; quo morbus augeri maxime posset. Frigus quoque nobis vitandum est; quia nervorum papillis sub cute jacentibus, ab ipso constrictis, sensibilis transudatio, quo peccans humor naturâ partim ejicitur, & transpiratio insensibilis impediretur. Obstructis enim hisce tubulis excretoriis, quotidie in corpore serum augeretur, & acrius evaderet.

Maximè notandum venit ut transpiratio, quantùm possibile, blandè tamen, foveatur; quâ 1. alvi dejectiones enormes non parum levantur; & secundo febris, si adsit, cum succeslu fugatur. Cubiculi aer non aliter ac in peste purgandus erit, ligno, scilicet, juniperino, &c.

XIII.

Cibus boni succi, plenus, nutritivus, facilisque digestionis esse debet; uti pulpa hordei mundati, ova, juscula avenacea, vervecina, vitulina, cum endiviis, portulacis &c. Fructus omnes horarii; pruna, poma, nuces; legumina, cucurbitæ, cucumeres, melones &c. & omnia sale condita duliciaque V. G. saccharina, vitentur. Saccharum enim acidum & acre venenum obtegit, quod fermentatione, sanguinis mixturam idoneam & naturalem perturbat.

Potus Ptisana, cum C. C. raso, radice tormentillæ, & cydon. exsicat: sit. Cum parva vini rubri quantitate. Aliàs vino cautè semper abstinendum, angueque pejus vitandum est.

XIV.

Somnus omninò conciliandus naturâ, vel narcoticis, & quies consequenda. Somnus enim optimum dysentericis solamen est. A propriis etiam fæcibus caveat æger, ideoque super vitrioli martis caput mortuum alvum exonérabit. Hisce bene seduloque peractis, curam ipsam pharmaceuticam aggrediamur.

XV.

In ipsa Gallia ubi fermè gravidis V. S. instituitur, in hoc tamen morbo non illam admittunt, nec admittandam esse puto. Sed ad hostem nostrum tenacem, strenuumque expugnandum, primo purgatio levis, neque nimis astringens ab infusione rhabarbari, verbi gratia, & sim: adhibeatur (non autem, uti non nulli sentiunt, torre fieri debet; sic enim *Empyreuma* patienti obnoxium, acquirit.) Nam hoste primum fugato,

na-

natura ab illo liberata sola satis adstringet. Si seri copiosa quantitas adesset parum mechocannæ non nocebit.

Neque desunt authores vomitoria adhibentes si nempe patiens nauseabundus sit: iique Ipecuanam Dysenteriæ specificè convenientem administrant. Injiciatur deinde Clipter abstergens ex hordeo sem. plantag. conserv. Ros. solut. &c. Hisce peractis moderatè adstringentia & simul mitigantia maximi emolumenti esse possunt. V. G. opiata quædam, terrea, sub acida, glutinosa. &c. inter quæ oleum amigdalar: sine igne expressum cum citri succo, quotidie sæpius, per dies aliquot assumptum, quamvis simplicissimum, optimum tamen ab expertissimis medicis laudatum est.

Tum denique consolidantia & mitigantia, vel saltem conglutinantia necessaria sunt: ut in enemate decocti capit. & ped. vervec. tarebinth. cum ovi vitello solut. balsam. peruvian.

Dolore verò vehementer urgente gr. I. vel duo laudan. opiat. Clysteri adjungatur. Cùmque ferè semper aliquid maligni in hoc affectu abscundatur interponenda sudorifera, præcipuè besoartica sunt. Quibus autem alexi pharmaca prosunt, ipsis morbus omninò debellandus, & devincendus est.

FINIS.



Sub-